

**Dissertatio inauguralis medica, de venae sectionis in pede gravidarum usu tuto et salubri ... / [Andreas Hojelsinus].**

**Contributors**

Hojelsinus, Andreas, 1698-1775.

Alberti, Michael, 1682-1757.

Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

[Halaë Magdeburgicae] : Typis Jo. Christian Hendel, [1724]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/p6vp684g>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>





29,175/B



Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30547106>





J. xxix

18/h



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE  
**VENÆ SECTIONIS IN PEDE**  
GRAVIDARUM USU TUTO ET SALUBRI,

Q V A M  
AUSPICE DEO PROPITIO

*Et Consensu atque Auctoritate Gratiſſæ Facultatis Medicæ,*

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R Æ S I D E

**DN. D. MICHAELE ALBERTI,**

POTENTISSIMI REGIS BORUSSIÆ CONSILIARIO AULICO,  
MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ NATURALIS PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO,

FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,

*Domino Patrono, Præceptore ac Promotore ſuo omni honoris cultu proſequendo,*

P R O L I C E N T I A

SUMMISQVE IN ARTE SALUTARI HONORIBUS, INSIGNIBUS  
AC PRIVILEGIIS MORE MAJORUM SOLEMNI OBTINENDIS,

HORIS LOCOQVE CONSVETIS,

ANNO MDCCXXIV. D. APRIL.

PUBLICAE AC PLACIDAE ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET,

AUCTOR ET RESPONDENS,

**ANDREAS HOJELSINUS**

P E T R. F.

NYCOPIA - DANUS.





DISSERTATIO IN AUGURALIS MEDICAE  
VENAE SECTIONIS IN PEDIBUS  
GRAVIDARUM USU TUTO ET SALUBRI.

AVVSPIE DEO PROPITIO  
IN ALMA REGIA MEDICINA  
P. R. E. S. E. N. T.  
D. N. D. MICHAELLE ALBERTI

POTENTISSIMI REGIS BORUSSIE CONSILIARIO AULICO  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATURALIS PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO  
FACULTATIS MEDICAE DECANO SEQUESTATISSIMO

PRO ALCANTIA  
SUMMISSE IN ARTE SALUTARI HONORIBUS, INSIGNIBUS  
AC PRIVILEGIIS MORE MAIORUM SOLEMNI OBTINENDIS

ANNO MDCCXXIV. M. APRILIS  
AUCTOR ET RESPONDENS  
ANDREAS HOJELSIUS







Pecimen inaugurale editurus diu multumque, quid potissimum argumenti sumerem, dubitavi. Nam cum omnem fere scribendi materiam exhausit Disputantium multitudo, tum si res, a multis ad nauseam usque repetitas, pertractarem solum, crambemque recoctam denuo apponerem, & aliis & mihi ipsi fastidium pariturus videbar. Venerunt itaque in mentem alia atque alia, sæpiusque, quod primo intenderam consilium, repudiavi. Opportunam vero nactus occasionem in amplissima praxi, cui sub auspiciis Experientissimi VIRI D. JUNCKERI per biennium interesse contigit, quædam animadvertendi ad-



hucdum non satis perquisita, ad experientiae fidelioris amussim exacta, nihil incongruens aut a studiis meis alienum me facturum putavi, si inde aliqua exciperem, minus vulgo cognita, & ad communem praxeos usum, dummodo caute adhibeantur, profutura. Ex his tanto alacrius praesens thema delegi, elaborandumque suscepi, quanto magis id felicius effectus perpetuitate nititur, quantoque securior hujus V. Suis praestantiam omnibus veritatis medicae indagatoribus commendare possum. Quemadmodum autem a prudentibus rerum arbitris aequum & benignum mihi iudicium polliceor; sic facile prospicio, dissertationem hanc varias variorum censuras esse subituram. Multis novitas suspecta, audaciae & periculi plena apparebit, plerique vero inutilem aut supervacaneam operam collocatam esse dicent, cum sola V. Sio in brachio, si opus sit, satis bene gravidis consulere posse videatur. Sed his quidem ultimo dissertationis capite respondere conatus sum: qui vero sententiam ab omni

æuo



æuo hucusque rejectam nimis subito defendi, & Medicorum Principum regulis inconcussis male obsisti arbitrantur, hi velim cogitent, multas Veterum de V. Sine præceptiones a posteris correctas esse, multa in eis adhuc Recentiores emendanda & certioribus terminis circumscribenda deprehendisse. Neque aliter fert imperfecta scientiarum & artium conditio, quam ut dies diem doceat, & posterior ut prioris discipulus, sic etiam aliquando magister, inventis uberiorem lucem affundat, novaque vel minus cognita suggerat experimenta. Liceat ergo sine Veterum aut secus sentientium contemptu majorem veritatis rationem ducere, quam humanæ auctoritatis. Liceat mihi apud eos temeritatis notam effugere, qui hæc fidissimis observationibus deberi audiunt. Liceat denique ea, quorum nocumenta nulla, utilitatem certam, comperimus, publicare sine pruritu aut inepte sedulo studio nova & curiosa proferendi, quæ quivis, a natura bene institutus animus, justissimo odio prosequitur. Sed ne



longior sim, hic desinam, rogato lectore, ut humanæ imbecillitatis memor, qualiacunque hæc sint, boni consulere, & benevolo animo accipere ne dedignetur.

## CAPUT I. DE HISTORIA ET DISPOSITIONE ARGUMENTI.

**M**issionum Sanguinis usum, siue præmonstrante Hippopotamo Aegyptiaco, quem cæsuris arundinum imprimentem corpus venam sibi in crure vulnerare refert Plinius, siue ab ipsa natura humana, spontaneis hæmorrhagiis identidem corpus suum exonerante, homines primum didicerint, certe antiquissimum esse constat. Quanquam enim pauciora hujus rei monumenta supersint; tamen jam diu ante bellum Peloponnesiacum creberrima Venæ Sectionum experimenta innotuisse, ex eo facile colligimus, quod jam tempore Hippocratis sanguis e variarum corporis partium non venis tantum, sed etiam arteriis, magna fiducia detraheretur.

Quemadmodum vero complura Medicæ artis præ-



præsidia à tenui initio profecta sunt, ab insequenti vero ætate deinde solertius exculta in ampliores certioresque usus sensim excreverunt; sic venæ sectio quoque, vbi primum rudius & non sine experientium metu instituta quemdam sui usum ostendit, pluribus deinde tentaminibus audacius subjecta, varia fata subiit.

Sed jam non vacat, nec instituto meo convenit, pleniorē hujus remedii historiam subtexere, & quomodo idem à Chrysippo Erasistrato & ejus assclis exagitatum & e foro Medico proscriptum, a Galeno vero mascule vindicatum, cæterum etiam a plurimis terrarum gentibus receptum sit, fusius exponere.

Id tantum, ut propius ad scopum accedam, hic indicare par erit, Veteres quidem salubritatem venæ sectionum in variis ægrotantibus ex multiplici observatione prudenter animadvertisse, earumque usum, ad plures fere morbos quam hodieque fit infringendos, late commendasse, sed tamen ab Hippocratis tempore jam dubitari cœpisse, an etiam gravidis venam incidere liceret.

Ansam huic hæsitati ipse diuus senex præbuit, cum in aphorismis alioquin pulcherrimis & vere practicis docere instituit: mulierem vterogentem, secta vena, abortire; eoque magis, si grandior foetus fuerit. Quo factum est, vt posteri, qui Principis Medici verba veluti oracula sancte reuerebantur, per aliquot seculorum intervalla gravidis missionem  
fan-



sanguinis præscribere sibi ducerent religioni. Id ne sola auctoritate commoti fecisse viderentur, rationibus quoque muniendum & discipulis suis inculcandum putarunt. Quemadmodum enim generatim statuebant, sanguinis copiam proprie nutrire, illam vires tueri, iisque incrementum suppeditare; ita in gravidis speciatim illam abundantiam ad alimentum tam proprii corporis quam alieni in utero viventis, denique ad sustinendos partus labores requiri, neque propterea ulla ex parte minuendam esse arbitrabantur.

At vero præconceptam illam de sanguine nutriente opinionem labefactant clarissima & diligenti corporum anatome deprompta documenta, quæ non sanguinem sed lympham potius pro materia nutritionis proxima habendam esse persuadent. Non minus ficulnea est secunda ratio de viribus a sanguinis abundantia augendis; hanc enim ad vires potius opprimendas quam colligendas aptam esse, & à priori & à posteriori varia argumenta ostendunt. Quippe, si inter mouens & mouendum, inter continentia & contenta corporis nostri æqua intercedere debet proportio, ut vires sibi recte consentiant; certe in plethoricis, ubi vasa a copiosis humoribus opplentur & distenduntur, & ad hos circummagendos vehementior motus vis exigitur, hoc æquilibrium gravissime lædi, nemo inficiabitur. Quo magis ergo sanguine abundant, eo citius robore gradatim destituuntur, eoque magis ad labores ferendos inepti, de lassitudine & grauitate artuum, de respirationis angustia, de debilitate



tate conqueruntur, neque antequam vel sponte naturæ vel artis subsidio a parte aliqua superflui & onerosi illius sanguinis liberantur, ad pristinum vigorem integritatemque virium redeunt.

Cæterum ut neruum aphorismi Hippocratis recte assequamur, omnino necesse est, ad eam consuetudinem, quæ tum temporis inualuerat, respicere. Etenim in usu erant venæ sectiones nostris moribus plane insolitæ, largæ & interdum adeo profusæ, ut ad animi defectionem usque vulgo imperarentur. Has propterea in gravidis fieri summo quidem iure vetuit providentissimus senex, a posteris autem non ad iustum modum redactas fuisse magis miraremur, nisi quantum valeant semel imbibitæ & paululum inueteratæ opiniones, aliunde satis perspectum esset. Conferatur lectu digna observatio *Cass. Rejes Camp. Elys. juc. qv. 74.* ubi hoc thema de V. Sne in gravidis fusius ventilatur.

Interea tamen, si hic latius euagari vellem, facile possem commonstrare, quosdam Medicos ante & post ætatem Galeni, nec non mediæ ævi Arabes haud tanti semper duxisse priscorum ratiunculas, ut a venæ sectione prægnantium se prorsus deterreri paterentur. Jam tum enim Celsus innuit in capite de sanguinis detractioe per venas: Firmus puer & robustus senex & *gravida mulier valens tuto* venæ sectione curantur. Certissimum vero est, hodie non amplius trepidari, sed omnem in hac re metum prorsus evanuisse, & a consultissimis hujus & proxime superiorum



seculorum Practicis, quotquot incommoda plethoræ, grauidis infesta, recte secum adhuc reputant, aut olim attenderunt, non modo insignem venæ sectionis fructum, sed & necessitatem interdum collaudari. Conf. *Obseru. Schenckii Lib. IV. Obseruat. 22.* Et certe horum prouidis consiliis quotidiana etiamnum adstipulatur experientia, frustra obstrepentibus Helmontianis, & si qui adhuc sunt, affectis Bontekoe & Gehenæ: quare alii medici V. Snis spontaneæ & naturalis mentionem faciunt. Conf. *A. N. C. dec. 1. an. 3. obs. 54. Hæchstetterus Decad. 2. cas. 7.* ex qua facile V. Snis artificialis vtilitas in aliis certis casibus diiudicari potest.

An vero longius progredi & in pede quoque sanguinem detrahare vterum gerentibus consultum sit, paucissimi, quantum nobis constat, adfirmare ausi sunt, longe plurimis ab hoc incepto, tanquam temerario & periculoso, abhorrentibus: id quod præcipue *Ab Altomari* strenue semper fecit. Notissimum enim est, vniuersam propemodum Medicorum scholam sibi persuadere, hoc inter formidolosa & violenta ecbolica, quæ foetum immaturum truculenter eiicere valent, summo iure esse numerandum. Quid? quod eo res rediit, vt virginem innocentem pudice educatam, genere & fama honestam, si hoc remedium ad fluxum menstruum reuocandum aut symptomata, quæ ab eius retentione pullularant, mitiganda experiretur, læsæ virginitatis suspectam habuerint, & legi-



legibus cauendum curarint, ne innuptæ hoc vti liceret.

Cur autem nos a vetustissima & ab omnibus fere probata sententia discedere sustinuerimus, non alia causa fuit, quam quod dolentibus, grauidas a V. Sine in brachio minus ex voto leuari, eadem in pede instituta pluribus feliciori hucusque euentu satisfactum esse symptomatibus, obseruare contigerit. Neque tamen hoc temere tentasse arguendi sumus, quandoquidem & rationibus haud friuolis & aliqua præeuntium auctoritate suffulti, ad hanc medendi rationem peruenimus. De hisce itaque iam dicere animus est, & quidem proximo capite *tutissimum* huius venæ sectionis vsum, vltimo autem *salubritatem* & *præstantiam* exponere adgrediar.

## CAPUT II.

DE

### TUTO V.SNIS USU IN PEDE GRAVIDARUM.

**P**riusquam hanc V.Snem sine vilo abortus periculo confidenter adhiberi posse demonstrem, quædam præmonere necesse est, ne forte deterior euentus, qui ex aliis causis & non tam *ab* vfu eius debito, quam *sub* vfu eodemque *peruerso*, vel ex



aliarum causarum concursu subsequi potest, huic auxilio imprudenter adsignetur.

Primum itaque, quod ad *quantitatem* exhaustiendi sanguinis attinet, notissima cuius & peruulgata cautio est, ne pro gravidarum constitutione vel *parcius iusto*, vel *immoderatus* detrahatur. Etsi enim natura satis magnam sanguinis disperditionem sine insigni noxa subinde ferre possit, ut constat ex largissimo mensium fluxu, hæmorrhoidibus copiosis, vulneratorum exemplis; tamen *aurea mediocritas* hic tanto diligentius seruanda est, quanto facilius, siue in brachio siue in pede institutam, venæ sectionem prodigam abortus excipere potest.

Notabile huius rei exemplum reliquit *Guil. Fabr. Hildanus in Obseru. Chirurg. Cent. VI. Obseru. 92.* Vbi non præteriri debet Physiologorum obseruatio, ne forte nos oculorum iudicium decipiat, sanguinem pondere suo aquam plurimosque alios liquores multum superare. Neque vero putes, *parciore* & inepte scrupulosa evacuatione leuiora nasci plethoricis incommoda aut pericula; quippe hinc & intensiorem humorum commotionem exsurgere, & naturam, ab exigua nimis dosi male placatam, sæpe ad vltiores & magis ancipites sanguinis egestionem moliendas incitari experimur.

Porro, nec in æstuosis nimium & febrilibus, præcipue malignis, motuum humorum exacerbationibus, nec in ipso exquisitorum dolorum paroxysmo, nec in tumoribus crurum cachecticis & hydropicis, ve-

nam



nam pertundere consultum fuerit. De subjectorum vero habitu, de instrumentis & dexteritate chirurgica, ea omnia probe tenenda sunt, quæ de quacunque V.Sne passim præcipiunt Autores peritissimi, & nos infra capite tertio nonnihil attingemus.

Paucioribus hisce (nam multis, ne actum agam, supersedeo) præmissis, ut effectum V.Snis in pede grauidarum innocentiae suæ asseram, ac, nullum inde abortus discrimen per se imminere, euincam, primum omnium ad ipsam Medicorum, qui in frequenti salutaris artis exercitio versantur, conscientiam fidenti animo prouocabo, persuasus, neminem illorum, nisi qui prorsus a missionibus sanguinis absteat, diffeffurum, *aliquando sibi accidisse*, ut nonnullis mulieribus consilium V.Snis in pede optatissimo cum successu dederit, quarum grauiditatem nec Medicus, nec ipsa mulier, coniectura assequi potuit, euentus-tamen satis comprobauit. Qui quidem error facile committi potuit, cum vel primæ conceptionis in iuueniculis, vel nouæ, post diu ante habitum puerperium, grauiditatis indicia, interdum valde ambigua, reperiantur. Quod si iam talem sanguinis detractionem, prægnantibus mature intra *primos menses* adhibitam, in quibus alias ad foetum teneriorem elidendum maxime opportunæ & proclives existunt, nullus consecutus sit abortus; quid est, quod tam grauib. suspicionibus immerentem onerent, eaque mulieribus reliquo gestationis tempore prorsus interdican?



Attri, cum ad *thermas Carolinas* iter facerem, ut Profes-  
sores Medicinæ, eosque ampla satis praxi occupatos,  
conuenirem, & inter alios sermones, vt fit, senten-  
tiam ipsorum de hoc V. Snis vsu percontarer; quem  
omnino reprobantibus hanc ipsorum in hac re expe-  
rientiam in memoriam reuocaui, mitioremque inde  
censuram me retulisse memini.

Cæterum neminem, qui paulo animum aduer-  
terit, fugere potest, stupratas quidem ad partum pel-  
lendum clam sæpissime hac in pede phlebotomia vti,  
sed, nisi valentiora subsidia nefarie adiungantur, ple-  
rumque sua spe destitui, cum multæ a V.Sne in pede  
prorsus immodica & ad animi subinde deliquium  
vsque continuata, crudelis voti vix compotes red-  
dantur. Exinde ergo non mirum videri debet, cum  
intempestiua & intemperans sanguinis profusio non  
semper exitium fœtui adferat, moderatam, iustis-  
que limitibus coërcitam, ab omni plane noxa & per-  
niciæ haberi alienam. *Vid. Zacut. Lusitanus*, qui  
insigne exemplum allegat *Med. Princ. Histor. lib. 1. Ob-  
serv. 25.*

Et si quoque lubentes largiamur, V.Snem in  
pede ad mensium fluxum resuscitandum, vel imminu-  
tum augendum, non parum momenti adferre; tamen  
sedula attentione facile cognoscimus, & dolentes in  
praxi experimur, naturam, nisi iam per se ad hanc  
euacuationem (vt fere semper in puberibus extra ge-  
stationis aut lactationis tempus) propendeat, aut mo-  
tus suos eo intendat, rarissime per solam V.Snem



eo impelli & prouocari. Ex quo coniicio, cum in statu grauido natura ad sanguinem per vterum exonerandum proprie & ordinarie haud inclinet, sed potius omnia venarum orificia, e quibus alias catamena manare solent, arctius constringat & occludat, V. Snem in pede, si plethora vrgeat, ad lubrica & periculosa tentamina haud esse referendam.

Obiicitur equidem, nostro remedio ingentem vim reuellendi inesse; sed vti hanc non plane negamus, ita per se nihil posse, supra dicta confirmant. Et, si tantopere propterea timendum esset, tum certe alia sic dicta reuellentia, vt *cucurbitula caca* in inguinibus, *scarificationes* in femoribus grauidarum factæ, & *pedilunia* a veteribus & hodiernis medentibus laudari consueta, eundem metum incutere oporteret.

Hisce inuietum illud argumentum si accesserit, ab usu eius hic loci recepto, & per innumera tuto vtentium exempla corroborato, non video quid reliqui ad præstandam de eo securitatem posse desiderari. Sane prorsus iniquum foret, aliorum medicamentorum, dummodo vel decem forte tentamentis præcognita sint & explorata, applicationem innoxiam iudicare & confestim ambabus manibus amplecti, hoc vero, quod in sexcentis amplius exemplis nullam vnquam grauidam in abortiendi periculum adduxit, pro regulis maiorum præconceptis abominari & proscribere. Etenim & ipse liquido asseuerare & testes  
locu-



locupletissimos, tam Medicos quam Chirurgos, huius ciuitatis aduocare possum, præter alia in grauidis delicatis & perillustribus coniugibus, summa cum felicitate & grauissimorum symptomatum mitigatione, hoc auxilii genus vsurpatum fuisse, tantum abest, vt offecerit vnquam aut damnum dederit. *Conf. cap. seq.*

Ne tamen propter *nouitatem* nimis displiceat, aut inuidiosum sit, in illorum gratiam, qui autoritatibus aliorum & vulgi persuasionibus nonnihil dandum esse existimant, ex Practicis, qui quidem impræsentiarum obueniunt, aliqua huc pertinentia subnectam.

Ex his primo *Zacutus Lusitanus*, vir iudicio excellens & in præstantibus medicæ artis præfidiis colligendis diligentissimus, in *Medicor. Princ. Hist. Obseru. 26. 29.* grauidarum epilepsiam & bubonem pestiferum, suffocationem vterinam, apoplexiam, vbi V. Sio in brachio irrita imo incommoda fuerat, generoso hoc auxilio optime leuari annotauit, tutumque eius vsum multis rationibus contra aduersarios, *Plempium, Fontanum, Bruschium*, aliosque Veterum placita mordicus retinentes, pro ea ætate, qua vixit, strenue profecto defendit, aliorum quoque Medicorum experientia suam stabilire sententiam annixus. Non possum autem, quin hic notatu dignissimam illius obseruationem allegem, qua ad abortum quoque præcauendum idem tutum esse ac fructuosum contendit.

Fœ-



Fœminæ binæ robustæ, inquit, cum per totum gestationis tempus menstruas purgationes paterentur, fœtum vsque ad maturum tempus referuabant, sed cum purgatio in alia grauidatione deficeret, abortum fecere. Quam scaturiginem mali in sanguine menstruo suppresso, copia sua fœtum obruente, acutie vasorum vteri oscula aperiente, & punctione naturam lancinante, vt ante tempus fœtum propelleret, sitam esse, vnanimiter rati sunt; quare illis iterum grauidis factis a suppressa menstrua purgatione sanguinem e cubito exhauriunt: sed neque ex hac parte celebrato consilio voti compotes euasere: nam in quinto & sexto mense abortiere. Hisce perspectis, dum iterum concipiunt, me vocant, a secundo vsque ad quintum singulis mensibus e talo sanguinem exhaurio, & sic demta particulari plenitudine vteri, vel copia sanguinis ad eum fluentis, ad originem fluxus vacuati feliciter nono mense ter pepererunt. *Vid. praxeos admiranda libr. II. Observat. 160.*



Doctissimus quoque *Oethaus* pluribus gravidis, epilepsia correptis, eodem auxilii genere succurrit, ac testatur, se suæ ipsius gravidæ vxori, quæ in eam cordis angustiam & pectoris compressionem inciderrat, vt iamiam suffocatione peritura videretur, subito circa malleolos venam in sinistro pede aperuisse, euidenti ac subita mali istius leuatione, nec quidquam incommodi accidisse, sed per integrum mensem foetum salubriter gestantem feliciter eundem postea peperisse. Quocirca minime dubitat, in tantis periculis non solum necessario sed & tuto adhiberi posse. Vid. ipsius *Obseru. proprias*. Accedit huc suffragium *Moxii lib. 2. de morb. acut. gravid. per V. S. c. 20.* cum quo consentit *Zacchias Qu. med. leg. lib. 6. tit. 1. qu. 7. n. 17.*

Quamuis autem hi viri prospero sæpe cum successu huiusmodi experimenta se fecisse fateantur, tamen a vulgi calumniis & inueteratis tunc temporis opinionibus prohibiti videntur, quo minus huius vsum in maius meliusque prouexerint. Iisdem causis effectum est, vt in sequenti ætate negligentia & contemptus progressum eius retardaret.

Postquam autem primus nostri temporis *Stablius V. Snis* in pede præstantiam & utilitatem singularem luculenta dissertatione explicauit, ac deinde in alia, *de affectibus gravidarum* habita, nonnullam huius subsidii mentionem iniecit, permulti omnino Practici solertiore huius rei consideratione eo perducti sunt,

vt



vt alacriori animo idem frequentius periclitaretur.

Non autem incongruens erit, illustris & circumspectissimi Autoris verba apponere: Venam in pede, inquit, grauidæ secare, minime certe iusti singularis dubii obiectum præbet: inprimis si incommoda aliqua præsentia magis circa ipsum abdomen, maxime omnium autem circa lumbos, coxas & femora negotium faceffant, de rheumatico-arthriticorum affectuum indole. Ibidem exemplum subiungit de egregio talis V. S. nis effectu, quem iterata illa prægnanti plethoricæ & doloribus spasticis afflictæ præstitit.

Consultissimi quoque Præsidis mei experientiam hic prædicare & in partes vocare debeo, qui beneuole mecum communicauit & docuit, in sua praxi hoc sibi vsitatum semper tutissimum & ad multas grauidarum molestias auertendas efficax comperitum esse.

Neque mihi hic omittenda sunt felicissimi Præfici, Dn. Iunckeri, Præceptoris & Hospitis mei admodum colendi, verba, quæ *nouissima Tabularum Medicarum editioni, Tab. XXI de Cephalalgia*, inferenda curauit: In grauidis, Cephalalgia correptis, in brachio



quidem institui solet V. Sio, hodie autem in  
 ipsis pedibus sine formidine grauidis venam  
 secamus. *Conf. etiam Tab. de Affect. Grauidar.*

Haftenus varia argumenta, quæ, si modo cau-  
 te incedamus, superstitiosum timorem abiicere & se-  
 curos nos esse iubent, protulimus, in quibus æqui-  
 rerum æstimatores acquiescere posse videntur; sed  
 tamen & adhuc alia quædam occurrunt.

Vbi primum notatu dignissimum est, V. Snem  
 in pede *minus* hominem afficere, quam quæ in brachio  
 instituitur, atque inde omnes fere Practicos tutissi-  
 mum censere, ad unam & alteram unciam plus san-  
 guinis ex inferiore quam superiore corporis regione  
 educi.

Deinde spectemus quæso ipsius *natura methodum*,  
 qua coaceruatam sub grauiditate sanguinis redun-  
 dantiam subinde per inferiores vias imminuit, ac, ni-  
 si in eo modum excedat, optime sibi consulit, & ab-  
 ortum tuto anteuertit. Vnde non rara prostant  
 exempla *hemorrhoidum* sub grauiditate sine vlllo peri-  
 culo fluentium, neque infrequentes admodum sunt  
 venarum cruralium tumores, quos *varicum* nomine ap-  
 pellare solemus, atque intensas ad hæc loca sanguinis  
 congestiones se conferre & interdum quoq; in eruptio-  
 nem sanguinis solui, non ita pauci annotarunt; inprimis  
 autem animadvertendum est, permultas mulieres post  
 verum conceptum *menstruas purgationes* semel vel bis ex-  
 pe-



periri, nec tamen abortum perpeti, etsi tenellulum fœtum primis mensibus excussione promptius subire possit, tum a priori verisimillimum, tum a posteriori experientiae consentaneum sit. Tacebo earum exempla, quibus per *totum* gestationis tempus singulis mensibus per vterum purgari, aut diarrhœis laborare, innoxium fuit. Namque ex his euidenter apparet, naturam quoque modo oppletam sibi prospicere conari, idque sine ullo grauiorum malorum periculo, nisi aliunde perturbata hallucinetur, feliciter exequi. Quapropter & Medicis, naturæ ministris, concedi debere autumo, ut, si natura, collectis nimium humoribus, spontanea euacuatione suppetias ferre vel ex errore quodam nolit, vel propter aliqua impedimenta non possit, Medicus obruentem corpus plethoram, atque inde oriunda vehementiora incommoda, V. Sine in pede releuare tuto audeat.

Quæ cum ita se habeant, summo iure videmur concludere, finistros eventus, qui directe huic V. Sni vsui adscribi solent, potius tribuendos esse abusui, aut eminenti plethoræ, vehementibus animi perturbationibus, nimiaque eius sensibilitati, largissimis mensibus, emmenagogis fortioribus, debilitati vel plane morti excludendi fœtus, consuetudini abortiendi, variis grauidarum morbis, vteri vitiis, & id genus reliquis V. Snem vel antegressis vel proxime excipientibus circumstantiis, quibus præsentibus, siue in brachio siue in pede vena incidatur,



datur, abortum sæpe succedere nemo mirabitur.

## C A P. I I I.

D E

### SALUBRITATE ET PRÆROGATIVA V. SNIS IN PEDE GRAVI- DARUM.

**C**Um generatim V. Sio ad minuendam sanguinis abundantiam, aut permolestas & morbias inde existentes commotiones, partim præocupandas partim sedandas inseruiat; omnino necessarium & scopo meo conuenientissimum esse duco, antequam ad specialia progrediar, *presentiam plethoræ*, in compluribus grauidis obuiæ, adeoque vsum & interdum necessitatem missionum sanguinis comprobare.

Apparet autem vel leuiter attendentibus, quod, quæ singula alioquin ad copiam sanguinis cumulandam apta sunt, hic ferme larga pena se nobis offerunt vniuersa. Fœminarum enim natura, vt physice ad generandum destinata, sic iam a primis puertatis initiis semper intenta est, ad eam alimenti supellectilem, quæ sustentando fœtui sufficere potest, colli-



colligendam , & proinde, nisi grauiditas intercedat, singulis mensibus quantitatem sanguinis superfluam eiicere cogitur. In confesso autem est, a multis minus sanguinis, quam abundanter superest, egeri, quin & ob spissitudinem, e succrescente sensim copia prognatam, ægerrime posse exonerari. Quocirca necesse est, nisi simplici & laborioso vitæ genere, vt solent fere omnes rusticæ & plebeix, ingruentem plethoram consumant, extraordinariam sanguinis vbertatem sensim pullulare. Id quod præcipue fit in omnibus ditioribus, quibus & frugali victu vti & necessarios plane labores subire grauissimum onus est, præsertim cum appetentiæ suæ liberaliter indulgeant, quæ magis magisque lautioribus deliciis excitata in auuiditatem & vorandi consuetudinem degenerat, adeoque nimiam alimenti materiam corpori suggerit.

Augetur hæc oppletio delicata mollitie & sedentaria vitæ ratione, cui multæ fœminæ adeo addictæ sunt, vt ad nendum tantum & acu pingendum natus se esse putent, indeque ægerrime abduci se patientur.

Quod si iam his iungatur, vbi 'gravidæ fiunt', *repentina mensium retentio*, tum eam nutrimenti farra-  
ginem, quam alias ad menstruum sanguinem impendere & extra corporis limites relegare natura solebat, ad tenerrimi fœtus corpusculum exstruendum totum consumi, nullis rationibus conuinci possumus. Quid?  
quod



quod a priori haud difficulter intelligimus, sollicitudinem illam & curam, qua matris natura embryoni bene prouidere studet, efficere, vt semper plus materiae nutritiae, quam opus est, præparet & in promptu habeat.

Non ignoro, quid alii obloquantur: post conceptum protinus existere nauseam, decrementum appetus, vomitum quotidianum & per priores maxime menses perdurantem, quin plerasque grauidas a cibo magis, quam antea, abstinere, graciliores aspectu fieri, aliquas etiam insigni macie affici; inde potius nutritis humoris absumptionem, quam maiorem collectionem, indicari oportere. Sed his responsum velim, rarius hæc in rusticis & laboriosis, omnia vero frequentius occurrere in fœminis delicatioris sensus & pleno victu iam antea satis oppletis; vnde natura hac occasione vel auersatur cibum, vel eundem, qui plethoram auget, per proximam viam reiicit.

Nec tamen sub maciei simulacro signa sæpe restantis adhuc plethoræ, alibi obscuriora, alibi sub lautioris diætæ continuatione euidentiora, patefiunt, quo pertinent tumor venarum, membrorum torpor, grauitas crurum, anhelitus difficultas, insomnia anxia, aliaque plurima, quæ a causis fouentibus pedetentim incrementa capere solent, & in cephalalgiam, oppressionem pectoris, & tussim siccam, spasticos dolores, colicam, & ileon hæmatites Hippocratis, ac præcipue, si perturbationes animi superueniant, in grauiora sæpe mala terminantur.

Equi-



Equidem natura, vt in aliis morbis, vi sua autocratica se ipsam hinc subinde expedit, & tempestiue, ne corpus suum organicum a nimia humorum adfluentia obruatur, tum e naribus, tum e venis hæmorrhoidalibus aut crurum (in varicibus apertis) salutaris sæpe effectus superfluum educere laborat. Sed tamen hæc omnia varias molestias pariunt, variorum motuum apparatu suscipienda atque exequenda sunt, interdum etiam immoderatus & non sine multis erroribus perficiuntur; quin id quoque aliquando accidit, vt natura, siue ab onere plethoræ siue a causis magis immaterialibus commota & indignabunda, præcipiti impetu motus suos ad vterinas vias conuertat, atque indidem fœtum simul cum sanguine violenter excutiat.

Quapropter nullum aliud V. S. *tutius & utilius* medicamentum excogitari potuisse arbitramur, utpote qua in partibus ignobilioribus, opportuno tempore, ea quantitate, quæ ad demendam molestiorem copiam satis est, sanguis emittitur, vicaria euacuatio peragitur, adeoque fœcunda malorum e plethora efflorescentium seges in herba quasi suffocatur.

Vehementer enim falluntur, qui plethoram hic non attendunt, & a fictis quibusdam & inexplicabilibus, siue acidis, ponticis, acribus, siue alcalinis, siue neutris (certe sui generis, ut aiunt) salinis qualitatibus omnia incommoda, queis grauidas succumbere aut conflictari cernimus, deriuanda statuunt. Quæ si probabilitate quadam niterentur, cur edulcorantia,  
D obtun-



obtundentia, absorbentia, aliaque magnis vulgo laudibus decantata, tam diu sine fructu, & nisi phlebotomia in vsum vocetur, incassum vsurpantur?

Certe, si hic quicquam auxilii ab vilo alio præter V. sectionem expectare fas esset, tum illud ab exercitatione corporis frequenti & parsimonia victus pendendum esset.

Sed hæc minus arrident delicatulis, & certis de causis eadem suadere nonnunquam dubitamus. Unde detractionem sanguinis substitui oportet, cuius efficaciam & præsentissimum inde leuamen omnes Practici peritiores extollunt. *Conf. Rodericus a Castro, Fernelius, Forestus, Sydenham, Ettmullerus, Langius, Hoffmannus, & qui in primis erant nominandi, illustris Stablius, & Consultissimus Præses.*

Interim neutiquam eam doctrinam probamus, quæ cunctis sine discrimine grauidis venam incidere & quamcunque leuiusculam humorum ebullitionem protinus hoc auxilii genere oppugnare suadet, sed maximam ubique notabilis plethoræ rationem habendam esse arbitramur. Quamobrem robustis, laboriosis, ac simplici victu gaudentibus, nisi aliunde grauis causa spissitudinis, melancholiæ, orgasmi, spasmodorum hysteriæ vrgeat, V. Snem iniungere superuacaneum aut inutile est.

Cum autem in opulentis, otiosis, opiparæ & molli diætæ adfuetis, teneris, vrbis & nobilibus, vbi euidentior sanguinis copia præsto est, creberrimæ occasiones obueniant in perturbationes animi delabendi, atque



que hinc merito periculorum symptomatum conſe-  
ctaria expectanda & metuenda ſint; ſaluberrimum  
eſt, nauare operam, vt fomitem tempeſtiue ſubtraha-  
mus, atque emiſſione ſanguinis ambiguos & ad abor-  
tum ſæpe tendentes motus præoccupemus. Quam-  
diu enim humorum copia, cauſa materialis ad fœtum  
præmature edendum idonea, exuberat, vix nobis ſe-  
curos eſſe licebit, præſertim ſi vel antea huiusmodi  
funestos caſus accidiffe, vel aliis ex cauſis procliuita-  
tem abortiendi intelligamus.

Atque hæc ad prophylaxin. *Curationem* vero ef-  
fectuum, quos ſupra commemorauimus, eadem fe-  
liciffime vel adiuuat vel plane abſoluit V. Sio, tum  
quia fundum & materiam mali, cui tollendo nullum  
aliud medicamen par eſt, exhaurit, tum quia motus  
propter eam a natura ſuſceptos tutius quam omnia  
ſoporifera, efficacius quam alia quæuis neruina, blande  
demulcet.

Hanc euacuationem, licet alias in brachio fieri  
præcipiant, tamen e pede inſtitutam multis de cauſis  
præſtantiorem eſſe, nunc, qua fieri poteſt breuitate,  
planum facere propoſiti mei ratio poſtulat. Non eſt  
vero loci huius, nec temporis anguſtia ſinit, verbo-  
ſius diſcutere differentiam illam inter V. Snem *deri-*  
*uantem & reuellentem*: quam, licet practicam, Recen-  
tiores quidam Cartefiani ex legibus circuitus ſangui-  
nis refellere, & tanquam inane Veterum figmentum  
ac ſomnium, explodere voluerunt; nobis in hac re  
ſatis erit, relictis ſuper hac re e theoria ſana deprom-



ptis rationibus, ex admirabili planeque firmo Veterum ac Recentiorum consensu, illud tantum animaduertisse, omnibus infimum ventrem obsidentibus morbis maius & diuturnius alleuamentum a V. Sne in pede quam brachio procurari.

Jam cum pleraque mala in hac regione corporis grauidis molesta & ominosa existant, non ambigimus, quin (cuius innocentiam satis stabiliuimus) huius loci incisio præcellentior iudicanda sit, præsertim cum sciamus, vbicunque apertio vasorum sanguiferorum peragitur, illuc frequentius motus dirigi humoresque ibidem cumulatius asseruari. Vnde V. Sio in brachio lenimentum quidem affert, sed minus stabile, nec adeo, si in futurum prospicias, fructuosum; quandoquidem per illam motus humorum versus thoracem partesque nobiliores & teneras auocantur, atque inde, succrescente sensim plethora, nouæ præcordiorum angustiae, palpitationes cordis, respirandi difficultas & huius commatis plura, non ita multo post recrudescent.

Contra, ab incisione *saphæna* (e qua & largius quam e *mediana* sanguinem mittere licet) motus magis ad crura deorsum alliciuntur, vbi aliqua deinde succedens congestio a partibus robustis ignobilibus, minus exquisite sensibilibus, facilius toleratur. Vnde omnes hypochondriacos, quorum cum pathematibus grauidarum mala euidenter conspirant, longe certius & constantius ab hac leuamen, quam ab vlla alia, percipere constat. Vti hæc & alia dilucide pertractauit *Stablius*, in *disp. de V. Sne in pede*. Quid? quod & Cephalalgiam, dolores dentium, & oppressiones pectoris, nedum vagan-



gantia per abdomen incommoda celerius sæuire desi-  
iisse, & diutius conquieuisse, vbi hoc auxilium suasi-  
mus, fidissima nos docuit experientia.

Iuuat autem ad ea, quæ hætenus diximus, illu-  
stranda, & partim ad rem totam confirmandam, ex  
plurimis paucos hic subiungere casus, & insignem,  
quem ab hoc remedio reportauimus, successum legen-  
tibus impertire.

Fœmina illustrissimæ prosapiæ, annorum 27. tem-  
peramenti sanguinei, cum alias prægnans V. Sbus in  
brachio sibi consulere solita, sub variis semper pathe-  
matibus ter peperisset, viuos quidem, sed admodum  
debiles, & brevi a partu extinctos fœtus, iterum gra-  
uida facta, *tribus V. Sbus in pede*, sub initium nempe,  
medium & finem gestationis præscriptis, longe melius  
habuit, ac inprimis per secundam & tertiam V. Snem  
a symptomatibus grauissimis spasticis in abdomine,  
Cephalalgia, grauitate artuum, cætera, ad miraculum  
vsque liberata fuit, longeque *facilius ac felicius*, quam  
antea, fœtum exclusit, adhuc *saluum & vegetum*.

Alia illustrissima 36. annorum, temperamenti  
sanguineo-melancholici, mater plurium liberorum,  
in grauiditate semper vltra medium gestationis tem-  
pus vehementibus hysterice passionibus vexabatur,  
adeo vt ipsam lecto adfigerent. Adhibebat in consi-  
lium Medicum a V. Sne abhorrentem, & illius in lo-  
cum alterantia, nescio quæ, & temperata antihyste-  
rica propinantem, sed effectu adeo incerto atque exi-  
guo, vt nunquam a tantis malis liberaretur. Super-  
uenit autem alius Medicus, qui V. Snem in pede com-



mendabat, quam illa quidem trepidantius subiit, sed adeo commodam ac utilem sentiit, ut nusquam praesentio-rem & feliciorē opem sibi obuenisse testaretur. Itaque & tunc insigniter subleuata fuit, ac postea feliciter peperit.

Alia urbana, 29. annorum, temperamento chole-rico-sanguineo, summe hysterica, cum primo uterum ferret, ineunte septimo mense, e grauiore iracundia, ad quam naturali impetu ferebatur, incidit in dolores spas- ticos exquisitos, circa os sacrum & vicinas vtero par-tes saeuientes, & partus doloribus simillimos; accesserat iam summa debilitas, anxietas animi & tristitia, ut decumbens plane desperare videretur: quibus visis, Medicus trepidare paululum, & an hoc auxilium suaderet, animi pendere coepit; deinde, multiplicis experientiae recordatione erectus, in statu tam ancipiti venam in pede ocyus pertundi iubet, praemissis & subiunctis temperantibus ac leniter sedatiuis. Atque hinc adeo restituta fuit, ut breui post surgeret, ab omnibus incommodis, nisi quae frequentior ira ciebat, usque ad partum legitimum immunis.

Alia matrona, annorum 35. 7. liberorum mater, admodum tenera, dum vterum fert, ordinarie bis V. Snem in pede sibi institui ipsa postulat, quamprimum nempe dolores abdominis spastici & haemorrhoides caecae repullulant, iam satis experta, nullo alio subsidio tam praesentaneum sibi leuamen obtingere. Factum est aliquando, ut, cum vena minus late incideretur, ac nihil fere sanguinis stillaret, illa praemetu aliam sibi venam



nam aperiri recusante, nihil quoque solatii sed potius dolorum exasperatio sequeretur.

Alia, Chiliarchæ coniux, annorum 24. iracundis motibus valde obnoxia, iam *ter abortum fecerat*. Hæc aliorum medicamentorum vsum irritum experta, tandem quoque ad V. Snem in pede descendit, & per huius repetitum vsum, Deo consilium fortunante, coniunctis simul nitrosis & cinnabarinis, placata natura eo devenit, ut postea *bis* partum legitimum enixa sit, utrumque adhuc superstitem; idque eo magis mirandum est, quo frequentiores sub graviditate commotiones animi iracundæ intercesserunt.

Amplissimus mihi campus panderetur, si plura in medium exempla proferre vellem, sed merito abstineo, certus, sat claram lucem toti dissertationis meæ themati hisce affundi. Quæ si lectori cum supra ex *Lusitano, Oetbeo*, allegatis exemplis additisque rationibus comparare lubeat, eo certius, ut spero, stabilietur veritas, nec propter novitatem contemnetur.

Sed pergendum adhuc, & ex superioribus nobis in memoriam reuocandum est, rationes eas, quas ibi allegauimus, nos inducere, ut credamus, maiorem ad enitendum feliciter partum facilitatem per V. Snem in pede inferri. Etsi enim per se facultate foetum expellendi minime polleat, ut iam ante probauimus, tamen in graviditate, semel aut bis suscepta, natura quasi consuetudini adstringitur, humores versus inferiora demittendi, adeoque eius propensionem ad maturum foetum promptius euoluendum alacrius inuitat. Unde, si V. Sio præmissa fuerit, eandem cum incertiore  
effe-



effectu demum in dystocia plethoricarum, ubi vires plerumque iam exhaustæ sunt, adhibere necesse non habemus; quam alioquin in hoc casu ipse *Hippocrates, lib. de Morb. Mulier.* ac hodieque peritissimi Medici commendabilem existimant.

Ex eadem causa verosimile est, ab huius sub'graviditate usu & lochiorum fluxum debitum, & si lactare defierint, etiam menstruas purgationes meliorem ordinem & successum servaturas, expectari posse, quæ utraque V. Snum in brachio factarum repetitio, sanguinem ad superiores partes retrahendo, facilius in futurum pervertere valet.

Aliud nec pœnitendum commodum est, quod a fœminis menstruorum suppressione laborantibus, quarum graviditas dubia est, si consulamur, iam non amplius vereri opus sit, ipsas ad venæ sectionem in pede cohortari: quomodocunque enim se habeat ambigua illa constitutio, hæc æque profutura est. Cum e contrario, si prægnautes non sint, & V. Sio in brachio fiat, grauissimis pathematibus in superiore corporis regione fenestra aperiatur: quin & natura hinc in summam confusionem ruit, atque inflexibilem fere pertinaciam, ut vix ac ne vix quidem motus humorum deorsum reuellere & suppressos menses referare integrum sit. Vid. *Exempla in disput. Stablii de Motu tonico vitali.*

Denique, cum euacuationum sanguinis vel artificialium, vel naturalium per debita loca, consuetudo peculiarem naturæ sensibilitatem inferat, atque, uti plerisque haud ignotum est, multæ fœminæ V. Sni  
in



in pede antea adfueuerint; præstantius utique est, hanc consuetudinem, naturæ gratam & acceptam, in grauiditate retinere, eaque varias molestias, quæ a subita mutatione vel impendent, vel metui possunt, amoliri.

Postquam iam *utilitatem & præstantiam* huius V. Suis ostendimus, ultimo *methodum utendi* & reliqua, quæ hunc actum circumstant, paucis subiicere conueniet. Omissis ergo generalioribus præceptis, quæ de V. S. ne tradunt Auctores, de *temporis opportunitate* illud primum notandum habeo, quod ad prophylaxin vel præcautionem illis, quæ euidenter plethoricæ, grauioribus sanguinis exagitationibus, aut arthriticis doloribus, aut largioribus catameniis, aut abortiuis excussionibus alias obnoxia sunt, tum statim post conceptionem, tum ultimis mensibus, quin etiam, si necessitas exigere videatur, medio grauiditatis tempore, vena secari queat; aliis autem, pro varia circumstantiarum conditione, semel aut bis sanguis exonerari possit; quod quidem iudicio Medici præsentis relinquemus.

*Quantitatem*, pro largiorum aut parciorem alias mensium fluxu, plethora præsentem, robore, aut imbecilliore sensibili statu, V. S. num consuetudine, cæteroquin in grauidis mediocris habitus, mensura intra quatuor vel quinque uncias subsistente, dimetiri debemus; id semper prouidentes, ut potius iteratione, quam larga semel euacuatione, subsidiariam operam nauemus & auxiliatrices naturæ manus porrigamus.

Vbicunque vehementiora pathemata præsto sunt,  
E alia



alia quædam ex pharmacia selecta remedia coniungere non obliuiscamur. Sic feruidiorem orgasmum temperant nitrosa & absorbentia citrata, sic vehementiores dolores eadem cum cinnabarinis copulata pacatiores reddunt. In febrili motuum apparatu, temperantibus adiiciantur diapnoica fixa, emulsiões amygdalinæ dilutæ; alibi, in spissitudine & obstructionibus, diluentia & pilulas *Stablii*, vel *Beccheri* correctas, simul commendamus. Quod si periculosiores motus, abortus antesignani, ingruant, mitiora tonica, gemmata, cum paucis granis massæ Pil. de cynogloss. vel *Wildegansii*, vel Chymici Anglicani *Starckey*, ante vel post V. S. nem in usum vocata, aliquando profecerunt.

De *Venarum delectu* nihil addimus, tantum ut capaciores & a tendinibus ac nervis remotæ aliis præferantur, neque eæ iusto altius sed satis late (sensibilibus autem paulo angustius) incidantur, commonituri. Accidit autem interdum, ut in plumbea quadam (sicut exprimere solent) pedum oppletionē paululum tumida locus ad V. S. nem commodus haud statim in oculos incurrat: ubi nihil conuenientius est, ad venas in apri- cum producendas, quam si matutino tempore, quo tumores subsidere consueſcunt, simulatque e lecto surrexerint, Chirurgus manum admoveat.

Hiscē iam thema nostrum concludentibus nobis superest, ut DEO T. O. M. supplices gratias agamus, eundemque venerabundi precemur, ut vltioribus nostris conatibus & laboribus optabilem successum clementissime largiatur, eosque ad sui nominis gloriam hominum- que emolumentum valere iubeat.



*PRAENOBILISSIMO atque DOCTISSIMO*

# C A N D I D A T O

SAPIENTIAM PRECATVR  
ET FELICITATEM

D. IOANNES IVNCKERVS.

**I**mminet tandem, honoratissime AMICE! serenus ille dies, quo cathedram adscendere, deinde vale nobis dicere, TIBI constitutum est. Absoluto enim feliciter studiorum cursu de itinere in remotiores regiones cogitas, ac iisdem peragratis patriam repetere contendis. Equidem non improbo hoc TVVM propositum: at longa tamen via quum TIBI emetienda sit, varia porro subeunda pericula, ac multo plures effugiendæ insidiarum fraudes, vincendæ-



que infanientis sæculi illecebræ, COMITE  
omnino indigebis, eoque non e plebe sum-  
to, sed plane lectissimo, fidelissimo, fan-  
ctissimo. Mearum igitur partium esse duxi,  
pro eo, quo TIBI iunctus sum amoris vincu-  
lo, digito quasi eundem ostendere atque  
commendare. Tui namque animi pietas,  
tuusque in arte medica proficiendi ardor,  
tanti apud me sunt, ut nil magis in votis ha-  
beam, quam ut ab hominibus, vanitate hu-  
ius mundi abreptis, non TE quoque aufer-  
ri sinas, sed incorruptus in patriam reuer-  
taris. Quare hodegum illum fidelissimum,  
cuius vocem iam agnouisti, cuiusque manu  
in hunc usque diem clementer ductus  
es, iterum iterumque TIBI commendo:  
*σοφίαν* nimirum τὴν θεῶν, qua profecto nil præ-  
clarius, nil utilius, nil denique iucundius ex-  
optare quidquam possum. Omnia enim  
potest hæc sapientia, omnium dux est hic æ-  
ternæ lucis splendor, qui ab una terrarum  
parte in alteram sese extendit, & res huma-  
nas tam prudenter disponit, ut felici semper  
exitu concludantur. Vnde si in peregrina-  
tione TVA siue fidum & iucundum desideres  
comitem, siue in periculis strenuum expetas  
defen-



defensores, siue denique doctores quæras  
 peritissimum, hæc sane σοφία in his omnibus  
 vota TVA vberrime explebit. Quis enim,  
 quæso, ducente hac sapientia errabit, aut in  
 deuia abripietur? Est namque ipsa via, vias-  
 que in ipsis adeo desertis locis aperit planas.  
 Quis, ea defendente, periculis aut duriori-  
 bus, fatis succumbet? A malitia enim non  
 potest superari, neque truculentiae cedit ty-  
 rannorum: scutum est ambulantes in in-  
 tegritate, & filios suos in tentationibus comi-  
 tatur. Quis denique, illa docente & in-  
 struente, ad excelsum sapientiae gradum non  
 perueniet? Est enim σύμβουλος Ἰδ θεῶν, πατέρα  
 πάντων θεῶν: scit & præterita & futura: gaudet  
 spiritu intelligente, acuto, omnia perspicien-  
 te, & quoscunque subtilissimos spiritus pene-  
 trante: feruidis sui sectatoribus suppeditat  
 prudentiam, χειράγωγος est in singulis artibus,  
 &, vt paucis multa complectar, πάντων τεχνίτης  
 est. Res multo est certior, quam vt testium  
 numero indigeat, verum propter effata ele-  
 gantissima regem sapientissimum, SALO-  
 MONEM, tantum citasse sufficiat, qui  
 hanc σοφίαν, tamquam thesaurum vitæ, pro  
 CONTYBERNALI immo SPONSA habere, in



animum induxerat, probe expertus, accessisse sibi cum illa omnia simul bona, & immensam per illius manus rerum omnium adfluentiam. Nil enim illa est opulentius: flores eius sunt fructus gloriæ & diuitiarum. Hanc idcirco, clarissime AMICE, vt precibus TVIS impetrare studeas, arctius complectaris, complexam retineas & in perpetuum ames, per TVAM TE salutem obtestor. Illa ipsa TE ducat, doceat, praxin medicam in plurimorum salutem dirigat, atque omni felicitatis genere æternum TE cumulet! Vale. Dab. Halæ Vened. d. iii.

Cal. Aprilis. Anno clbcccXXIII.





**S**ic igitur nostris properas discedere muris,  
 Quo TE cunque sequi fata benigna iubent?  
 Sic igitur fidum, perdulcis amice, sodalem  
 Linquis, & hinc peregre solus abire paras?  
 Nec TE noster amor, nec fœdera nexa retardant,  
 Nec desiderii cura laborque mei?  
 Præteriti saltem reuocemus temporis horas,  
 Vita quibus TEcum suauiter acta fuit.  
 Optatam lucem! quæ TE mihi iunxit amicum,  
 Candidior redeat sæpius ille dies!  
 Euryalum celebrent priscorum carmina vatum,  
 Et Pyladis laudent sæcla vetustæ fidem:  
 Nos obscura quidem, sed vincla adamantina stringunt  
 Abdita, sed nullo dissoluenda die.  
 Non mihi frater erat dilectior, ortus eadem  
 Matre, etsi tenero iunctus amore fuit.  
 Præstat amicitiam naturæ fœdere iunctam,  
 Quam tibi virtutis conciliauit amor.  
 TE sine vix ullam transégi suauiter horam,  
 TE sine clara dies nubila visa mihi est.  
 TE sine, qui faciles, duri apparuere labores,  
 TE sine litterulæ non viguere meæ.  
 TV poteras dicto pectus mulcere fideli,  
 TV poteras curas pellere corde graues.  
 In TE conspexi verum probitatis amorem,  
 Quod mihi languenti nobile calcar erat.  
 In TE conspexi, quanto medicina labore  
 Constet, & huic quantæ sedulitatis opus.  
 Iam TIBI palma datur, fertum, quod tempora cingat,  
 Nequitur, & studiis præmia digna capis.  
 Quin ego perfundar summa dulcedine mentem,  
 Cum TE multus honor, gloria digna manet?  
 Plaudimus, & partos TIBI congratamur honores,  
 Laudibus accedat laus nova sæpe TVIS.

I nunc,



8  
I nunc, & patriæ millenam ferto salutem,  
I nunc, Morbonæ fortia bella moue.  
Per syluas & saxa means, vectusque per vndas,  
Tutus & a summo Numine tectus eas.  
Esto memor nostri: TE nulla obliuio mente  
Exstinguet fida. Cresce, vigesce, vale!

CAROL. ALEXAND. AB UNRUH,

Eques Siles.

















